





DE

1786, 10.

FINIBVS IVSTI ATQVE  
INIVSTI, CIRCA DOMINIVM  
ATQVE COMMERCIVM BIBLIOPOLARVM,  
ACCRATIVS CONSTITVENDIS.

---

A D

AVDIENDAM ORATIONEM,

QVAM

MVNERIS PROFESSORII AVSPICANDI  
CAVSSA

D. XVIII. OCT. A. R. S. CIOIOCCCLXXXVI.

RECITATVRVS EST,

OBSERVANTISSIME INVITAT

G E O. N I C. B R E H M

---

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAEBARTHIA

DE

EINIBAS IASTI AT&AE  
INIASTI CHIGA DOMINIUM  
AT&AE COMMERCIA MELLOPALARVM  
ACCARATIAE CONSTITAVIT

AD

ACADEMAM ORATIONVM

OLATI

MUNERIS PROLITERARIJ AVSICENDI  
CASSA

ET ZATIP OCT A X E GIGIOGEGIENVA

RECITALVARIS 224

QASERAYALDUSME INVALIT

GEOLOGIE BARONI

LIPSIYE

ET QASERAYALDUSME INVALIT

**Q**uemadmodum omnis omnino dominii, et publici et priuati, constitutio, qua res externae natura communes<sup>a)</sup>, in proprietatem, vel integrarum gentium, vel singulorum hominum, cessare, a libera voluntate humana est profecta; ita etiam ab hac eadem voluntate, quae dominii in hoc mundo sunt iura externa, originem ceperunt. Soli homines fuere, a quibus regulae sunt factae, quem et qualem quisque eorum, quae propria habentur, usum facere, quos fructus inde percipere, verbo, quatenus et quoisque de iis vniuersim aut signifikatim disponere possit<sup>b)</sup>. Ex his vero potissimum sunt natae, quae iusti atque iniusti leges externae<sup>c)</sup> vocantur;

A 2 quasque

a) Natura in omnibus rebus communione; in nullis proprietatem seu dominium instituit. Quae enim hominibus propria dedita videtur, ut sunt animi vires, corporis membra etc., ea nec vere sunt propria, ut recte proprium oculum, propriam manum appelles; nec vere, nisi verbis Iudas, iis dominii tribuitur nomen. Hoc nomen recte tantum de rebus extra nos possitis adhibetur. Illa vero nec recte extra nos posita voces; nec recte etiam dixeris ea possideri.

b) Vt, quod bene notes, nec omnia in dominium aut integrarum gentium, aut singulorum hominum sunt constituta, et inter illas e. g. oceanus, aer; inter hos res fere infinitae plane libera mansere; ita etiam non quiduis eorum, quae in dominium cesserant, eadem inter homines haber iura externa. Sic enim genti quidem licet exsiccare pescinas aut alio ducere; fluios vix

licet. Sic cui permittitur destruere, aut cremare utensilia; non vero domum aut filias,

c) Homines rerum corporearum communionem relinquentes, nequitquam moralium relinquere aut poterant, aut etiam volebant; quin potius illam tollendo, hanc stabilire, id est iungere societatem studuere. Cum autem societas in visione voluntatis socrorum consit, haecque unio esse atque durare non possit, nisi unita norma quaedam communis sit praefixa, quam quisque in rebus sequatur; ex societate leges natae sunt hominum communes; haecque leges communes sunt eae, quae vere externae vocantur. Sic introducta rerum proprietas communionem perperit legum, ut, qui ante a sua tantum voluntate vivabant, iis iam quoque vivendum esset e voluntate aliena,

quasque cum internis, quia hae ab illis, tum causis, tum effectis, plane sunt diuersae, nullo modo licet misceri <sup>d)</sup>). Leges enim iusti iniustique internae, cum singularum gentium, tum etiam hominum singulorum, quatenus separati et ab aliis liberi aut viuant, aut ita viuere spectantur, in rebus et actionibus sunt regulae, quae singulorum, ita separatorum iudicio proprio <sup>e)</sup> nituntur. Ex his legibus, quarum obligatio mere est interna, etiam iura et officia fluunt mere interna, haecque iura et officia proprie sunt ea, quae ictis imperfecta <sup>f)</sup> vocantur. Ex his fluunt facta, quae iusta et iniusta interne <sup>g)</sup>, seu sensu theologico atque philosophico appellamus; quaeque non nisi in foro interno, id est, diuino atque morali <sup>h)</sup> coactionem quan-

dam

d) Hoc saltim, nisi Theologiae atque Philosophiae, tamen Iurium Doctores omnino tenere; eiusque habere in omni re rationem debent.

e) Separatim et libere viuentes a suo tantum arbitrio pendent; suopte solum ipsorum iudicio reguntur. Ita autem viuunt non modo, qui cum aliis vniōnem plane non colunt; sed etiam qui colunt, quatenus non lege communi tenentur.

f) Iura igitur et officia imperfecta proprie sunt ea, quorum definitio non ab omnium iudicio communi est facta, ut sunt, *a furo, ab adulterio abstinere*; sed fieri singulorum quorumuis iudicio proprio debet, e. g. *pauperibus dare, succurrere pressis*. Haec iura et officia, quia rationis legibus nituntur, rationis vero leges a deo ipso menti humanae iustiae evidentur, haud incongrue diuina vocamus; hisque constituitur ius naturale internum, id est ius naturae sensu philosophico sumtum, quod tanquam ius diuinum vniuersale, iuri

in primis diuino particulari oppositum videtur.

g) Juste agit homo interne, si legibus internis, id est suo ipsius iudicio egredit conuenienter; contra vero iniuste. Sola igitur sentiendi, cogitandiisque via cuiilibet propriis; sola ratio, seu potius, in quibus vera rationis natura consistit, solae notiones vniuersae, cuilibet peculiares, eorum sunt norma, quae iusta aut iniusta interne vocantur. Haec tamen sensu improposito ita vocamus, suntque potius pia aut impia; aequa aut iniqua dicenda.

h) Forum diuinum etiam forum poli atque caeli; forum vero morale etiam forum conscientiae vocatur. In hoc tantum foro vtroque de internis iudicium fertur, quia, quae interna sunt, nemini, nisi cuiilibet ipsi et deo sunt nota. Forum tamen conscientiae vere forum non est, nisi cum foro dei sit idem. Nemo enim, nisi per lusum verborum, sui ipsius recte dicitur index. Quod igitur attinet interna; deo soli redienda

dam et poenam admittunt. Longe aliter vero legum externarum natura est comparata. Hae enim plurim, aut gentium, aut hominum, quatenus coniuncti sibique inuicem obstricti vel viuant, vel ita viuere spectantur, in rebus et actionibus sunt regulae, *quae coniunctorum omnium iudicio communi*<sup>i)</sup> nituntur. Ex his solum legibus, quarum deinceps obligatio est externa, iura et officia proficiuntur externa<sup>k)</sup>; haecque vere sunt ea, *quae Iustis perfecta*<sup>l)</sup> vocantur. Ex his tantum veniunt facta, *quae iusta et iniusta externe*<sup>m)</sup>, seu sensu A 3 iuridico

denda est ratio; ab eo solo praemia et poenae aut exspectanda sunt, aut timenda.

i) Coniuncti cum aliis, iisque obstricti viuentes, quatenus ita viuant, non tam a suo, quam ab aliorum arbitrio pendent; eorumque ingenio arque iudicio reguntur. Sic autem viuant non modo, qui cum aliis eodem imperio sunt vniiti, ut cives; sed etiam, qui cum aliis mores atque instituta eadem sequuntur, ut gentes. E quibus omnibus cum leges proficiuntur externae; eae sunt regulae plurim, pauciorumque, sponte aut casu, arctius aut laxius vniuersalitate sociales, solaque vno vera est mater earum, ita, ut, vbi non est vno, non etiam sunt leges externae.

k) Vbi non sunt leges externae, ibi etiam non sunt iura et officia externa. Sic vnuis in solitudine viuens, aut etiam plures, eodem quidem loco, sed non iisdem regulis viuentes, iura et officia externa inter se omnino non habent.

l) Iura et officia perfecta plane sunt ea, quorum definitio omnium

iudicio communi est facta; non vero singulorum quorumvis iudicio proprio relicta. Haec iura et officia Carneades, teste Laeliantio Div. Inst. lib. V. c. 16. recte quidem, eti non caute, inuentum vocavit humanum, quia nempe leges, quibus ea nituntur, ab hominibus solis venere. Hisque legibus constituitur ius naturale externum, id est *ius naturae sensu iuridico* sumptum, quod tanquam ius humauum vniuersale iuribus particularibus humanis solet opponi. Est autem omnino inter homines ius aliquod externum vniuersale, e quo omnia iura externa particularia fluxere, solumque ius illud iuris naturalis stricte nomen meretur.

m) Iuste agit homo externe, si legibus externis, id est iudicio aliorum egerit conuenienter; contra vero iniuste. Cum igitur extra vniuersalem propriem non sint leges externae; extra eam etiam, id est in statu plena libertatis, agi proprie non potest iuste aut iniuste externe. Plena libertate gaudere, et iuste, aut iniuste externe agere, veram inuolutem contradictionem.



iuridico <sup>a)</sup>) licet appellari; quaeque sola in foro externo id est humano atque terreno <sup>b)</sup>) coactioni et poenae esse possunt subiecta.

Haec sane, antequam rem ipsam adgredemur, ICtorum quorundam potissimum causa praemittenda fuere. Quamquam enim illis hoc solum incumbere videtur, ut partim leges explicent externas, et quae iis nituntur iura et officia externa; partim, quae iusta aut iniusta externe sunt, ad forum trahant externum: tamen, nec, quae proprie sint leges externae, aut iura et officia externa, quaeque recte iusta aut iniusta externe dicantur, et vere ad forum externum trahenda sint, sciunt, nec scire anxiaborant. Quia potius ad inscitiam et negligentiam, his in rebus tegendam, ab illis certa quaedam disciplina est inuenta, mirum chaos, ex placitis tum Philosophorum, tum etiam Theologorum diuersissimorum temporum atque locorum compactum atque contortum, sententiisque iuris Iudaici, Romani atque Canonici exornatum, fimbriatumque, quod ius naturae appellare confuerunt. Ex hoc iure, quod aut ius plane non est; aut si fuerit, non est externum; aut si externum fuerit, non inter omnes est externum, ex hoc iure, inquam, tanquam iure vniuersali extero, cum integrarum gentium, tum singulorum etiam ciuium, res et actiones externe iniusta haud raro pronuntiant, quae in omni foro humano omnino sunt iustae; iisque adeo poenas maxime praefentes minantur, et si a nullo unquam iudice mortali vel sint constitutae, vel etiam irrogatae. Quas hic notamus ICtorum quorundam peccata, illa etiam potissimum committere videntur, quoties explicant, quae dominii iura et effecta sint externa. Etsi enim, quantum quidem ad eos attinet, tota haec explicatio e legibus fieri debet externis, ut igitur inde tantum, quae non modo genti a gente, sed etiam ciui a ciue, illius respectu stricte, vel poscere sit permisum, vel praestare iniunctum, argumenta petantur; ad ius suum consurgunt naturae et externe iniusta declarant, quae omnibus legibus omnino externe sunt iusta.

Hoc

n) Haec iusta et iniusta sensu proprio vocantur.

<sup>a)</sup> In foro humano, quod etiam

forum soli appellatur, de iis tantum, quae externa sunt, sententia fertur;

Hoc saltim in contiouersis est factum, quae hactenus de dominio librario inter eos sunt gestae. Iure enim suo naturae decepti, inter huius dominii iura, iuribusque annexa officia externa retulere, quae nec nostro, nec vlo vnquam tempore pro iis sunt agnita inter mortales. Non modo enim librario ius, de quo nunquam dubitatum est, adscribunt, librum, suis sumtibus euulgatum, habendi, exemplaria singula vendendi, vendorumque commodis fruendi ita, ut positis ponendis haec omnia nemo illi vere possit auferre: sed etiam in vniuersum illi vindicant ius, omnes omnino alios a libri sui tum iteratione, tum iterati in primis venditione p) excludendi; his vero in vniuerfum officium imponunt, postulatis eius respondendi, hoc que officium pariter ac ius illud dicunt esse externum, ita, vt, qui non impleat, iniustum externe vocare, actionem de facto illius in foro humano instituendam virgere, et de rebus ablatis reddendis, poenisque adeo, furti caussa a iudice infligendis, dicere haud dubitent. Cum autem quisque tantum duntaxat iuris habeat externe, cuique tantum officii externe solummodo incumbat, quantum legibus externis illi vere concessum, huic vere impositum est; ad has leges iam, quod attinet cum integras gentes, tum singulos ciues, quae-  
stionem paullo accuratius exigamus.

Vt igitur primum de iusti atque iniusti legibus externis inter gentes dicamus; eae vel sunt *vniuersales*, quas nempe omnes omnino; vel *particulares*, quas scilicet singulae tantum quaedam gentes inter se habent communes. Vniuersales, quae solum sensu iuridico recte naturales q) vocantur, vt sunt, *pax seruare, pacem colere*, quia gentes, inter se plane aequales, non singularum quarundam voluntate propria, sed sua omnia voluntate communi reguntur,

non

p) Proprie non sermo est de libri iteratione, hanc enim bibliopola nec vult, nec potest prohibere; sed potissimum de libri iterati venditione.

q) Leges externas gentium vniuersales, particularium tantum, seu

positiarum respectu, quippe quibus opponuntur, naturales, id est, necessarias vocamus, quod scilicet, ab omnium omnino gentium natura communi, non vero a singularum quarundam natura propria, praescriptas videntur, vt inde etiam omni tempore et loco inter eas habeantur eadem.



non tam e verbis aut scriptis, quam rebus et factis haurimus <sup>1)</sup>. Ostenditur nempe in eo solum, quod omnes faciunt, communis omnium voluntas; haecque omnium communis voluntas omnium est lex, ut inde in statu aequalitatis *facta omnia*, *aequae singulis norma sint legum*, ac in statu imperii *leges unius omnibus omnino sunt norma factorum*. Quare etiam ex sola gentium, earumque moratorium, seu, quod idem est, socialium <sup>2)</sup> factis et praxi earum omnium communi; non vero e theoris quarumuis singularium peculiari discuntur, quae recte inter eas vniuersim iusta aut iniusta externe <sup>3)</sup> dicantur. Hinc quoque Illustr. Füsterum admiror, qui in explicanda iustitia atque iniustitia vniuersali, seu naturali externa, de hac enim illi est sermo, factorum gentium quarumuis, et praxeos earum communis nullo modo rationem esse habendam putarit. Vbi enim omnibus fere Europae politioris gentibus librorum, alienis sumtibus impressorum, repetitionem consuetam esse dixit, huiusque rei Anglos, Gallos, Hispanos, Lusitanos,

nos,

<sup>1)</sup> Quae omnes vel plurimae faciunt gentes, inter eas externe sunt iusta. Malegitur, quod obiter notauerim, certe gentium respectu, Iurum consulti interdum, quae res vere est *iuris*, rem meram *facti* appellant, viceque versa. Est enim id inter gentes *res iuris*, quod faciunt omnes vel plures; id vero recte *res* dicitur *facti*, quod singulæ tantum, vel pauciores facere sibi permittrunt. Hinc etiam, quia, quae iam a singulis solum, vel paucioribus sunt, paullatim saepissime fieri ab omnibus vel plurimis incipiunt, et v. v., *res facti* pedenterim inter eas omnino sunt *res iuris*; resque iuris pedenterim in *res facti* mutantur. Hinc quoque sit, ut, quae antea externe dicta sunt iniusta, postea omnino iusta; quaeque antea iusta, postea

omnino iniusta externe dicantur. Haec omnia, ut alia raseam, vel e foliis Germaniae ciuitatum exemplis facilissime possint probari.

<sup>2)</sup> Moratum esse, inter gentes idem omnino est, ac socialiter cum aliis vivere. Vocantur enim illæ moratae, quae cum ceteris societatem colunt, id est cum iis eodem mores, eadem instituta sequuntur. Hinc gens morata opponitur barbaræ, quae quidem ciuium, qui interni; non vero hominum vel etiam populorum, qui externi sunt, respectu, leges obseruat sociales.

<sup>3)</sup> Leges igitur gentium internae vniuersales a posteriore solum, seu experiendo et obseruando, non vero a priore, seu speculando et philosophando possunt cognosci.

9

nos, Polonos, Hungaros, Italos, Ruthenos, Suecones, Danos, aliosque populos testes laudavit, de singulis quibusue sententiam tulit <sup>v)</sup>, hoc suum factum his in rebus plane nihil probare, ut igitur omnium quoque factis nihil omnino ponderis restaret. Et tamen, vt dictum est, haec sola gentium sunt facta, haec sola est praxis earum communis, quibus, quae inter eas vniuersim recte iusta et iniusta externe dicantur, aestimare debemus.

Haec vero omnium facta, hanc prixin communem, qui vel leviter consideret, omnino animaduerteret, hoc quidem, dominii librarii respectu, inter gentes esse consuetum, ut quaelibet earum, libros, qui suorum ciuium impensis sunt editi, recte tum sibi habeat, tum etiam vendat; sed neutiquam hoc, ut eos habeat, vendatque omnibus aliis gentibus exclusis <sup>x)</sup>. Pro arbitrio enim gens quaenvis, gentis cuiusvis libros, non modo iterat; sed et iteratos vendit, venditorumque fructus percipit, quos maxime potest. Haec omnia quidem a primo inde tempore ad nostram vsque aetatem inter gentes in vsu fuere. Sic enim iam aeuo priori Romani scripta Graecorum; sic medio Itali, Angli, Galli, Germani, quique alii tum populi litterarum studia amarunt, praeter scripta Graecorum, etiam Romanorum scripta pro lubitu et descripsere et vendidere. Sic tempore recentiori a typographia inuenta gens quaenvis alias eiusvis libros, aut manu solum exaratos, aut typis adeo iam expressos, prelis repeteret et repetitos vendere, nullo modo dubitauit. Sic nostra in primis aetate gens quaelibet sere politioris Europae ita maiorum vestigiis instat, ut his in rebus longissime post se omnes relinquere videatur. Nos saltim potissimum Germani cunclarum gentium libros, qui aut nunc prodeunt, aut olim prodierunt, promiscue, non modo versos, sed et typis plane exscriptos, in patriam transponimus, et transpositos nostros vocamus. Immo non singularum modo, ut Voltarii, Ruslouii, Shakespearii, Thompsonis,

Tassonis,

v) Vid. opus illius eruditum:  
Der Büchernachdruck nach ältern  
Grundzügen des Rechts geprüft.  
Gotting. 1774. p. 100—109.

x) Sic igitur gentes lucrum, e librorum suorum venditione facient dum, cumulatiue quidem, ut vocant; non vero priuatiue sibi vindicant.

Tassonis, Petrarchae separatis; sed et vniuersorum adeo vel Galiae, vel Angliae, vel etiam Italiae cuiusque generis scriptorum opera, tum prosaica, tum poetica, iunctim, innumerisque saepe ea voluminibus denuo edenda curamus <sup>y)</sup>. Quibus fit, ut pars fere dismidia librorum singulis annis in Germania prodeuntium, peregrina sit censenda. Quae vero a nobis Germanis immodice fiunt, ea etiam, et si moderatius, ab Helvetiis, Belgis, Danis, Suecis, Italis, Gallis, Anglis, ceterisque gentibus, quae litterarum amore tenentur, fieri omnino est clarum.

Sic igitur, si facta gentium, earumque praxis communem intueamur; manifeste apparet, plane nullam ius sibi vindicare exterum, quo libros, fuorum ciuium impensis euulgatos, exclusis aliis habeat venditare; nullam etiam hoc ius ulli concedere, ut nempe sibi prohiberi patiatur, quo minus eius libros aut iteret, aut iteratos veno exponat. Cum autem, vti dictum est, haec praxis gentium communis legum earum sit loco, quarum ope, quae vniuersim inter gentes iusta et iniusta externe sint dicenda, definire debemus; liquet etiam, librorum aliorum iterationem, iteratorunaque venditionem inter eas, nec recte posse externe iniusta vocari, nec externe vere ita censeri. Reuera etiam gens nulla, earum gentium respectu, quae libros alienos iterarunt, et iteratos venales habuerent, ita unquam pronunciare aut sentire est ausa. Quin potius a qualibet gente eiusmodi iteratio atque venditio inter res et actiones maxime liberas hucusque adeo est relata, vt ne quidem sit vna, quae de libris suis, quos ab aliis denuo typis exscribi, vendique vidit, vel quiesca sit, nedum ut damni reparacionem atque poenam postularit; aut ob hanc vel illam sibi denegatam, sive mouerit controversias, sive concitauerit bella, quae tamen omnia, ob alias dominii publici atque priuati laesiones, tum olim sunt facta, tum etiamnum quotidie fere fieri videmus. Laedat quispiam, quod dominii iura attinet vere externa,

y) Hoc modo, ut alia silentio Gottingae; Italicorum Heidelbergae, praeteremamus, collectiones integrae Ienae his fere diebus in scriptorum Gallicorum Argentorati, Germania nostra publicari coepit non Berolini; Anglicorum perunt.

terna, laedat gentem vel integrum, vel etiam singulos ciues illius e. g. mercium respectu, quae alicubi vel veno sunt expositae, vel solum praeterehuntur, et videat, an id latura sit tranquille. In his autem rebus ne gens quidem hiscit; quodque si ficeret, frustaneae haud dubie omnes futurae essent querelae. Agnoscent enim gentes iterationis alienorum librorum inter se iustitiam externam, eamque, quia haud sunt ignarae, posse vnamquamque vnicuique librorum importationem in terram suam recte prohibere, iteratam autem libri alieni editionem pro vetita solum illius importatione e terra peregrina esse censendam. Agnoscent gentes huius rei iustitiam externam adeo, ut ipsorum librorum iteratorum, qui sui fuere, importatio permissa sit inter nonnullas; transitus inter omnes. Sed harum rerum iustitiam, quod alias attinet gentes, etiam nostri bibliopolae, et cum his quoque Iurium consulti agnoscent. Eo magis autem admirandum esse videtur, vtrosque id, quod ipsi inter gentes omnino iustum declarant, alibi, quoties scilicet inde periculum timetur, iustum, idque per se et sua natura vocare: quasi, quod per se et natura sua vere est iniustum, non debeat semper et ubique id esse. Non sentiunt, si libri alieni iteratio, iteratique venditio omnino sic posset vocari, nec posse quoque gentem villam gentis vlli librum, sine eius expresso consensu, iterare, vertere aut alio modo in usum suum conferre. Quae omnia praecclare ostendit Celeb. Ehlersius, vtpote qui libro suo<sup>2)</sup>, subtilissime scripto, non tam probasse, quod probare sibi constituerat, quam bibliopolarum, ICtorumque quorundam his in rebus miras adseriones ad absurdum duxisse videtur. Haec igitur sufficient de legibus vniuersalibus seu naturalibus externis, quas gentes sibi dominii atque commercii librarii cauilla imposuere, quibusque solis, dum non accessere particulares, vii in aliis, ita in his quoque reguntur. Leges gentium vero externae particulares, quas Iurium consulti etiam positivas<sup>3)</sup> appellant, cum solum e paciis

B. 2

liberis

z) *Veber die Unzulässigkeit des Büchernachdrucks nach dem natürlichen Zwangsgesetze.* Dessau. et Lipf. 1784.

a) *Leges externae gentium particulares, vniuersalium seu naturalium tantum respectu, positiuae, id est, arbitriae vocantur, quia nimirum non a natura omnium gentium communi, sed singularum tantum propria praescriptae videntur, eamque*

*lium tantum respectu, positiuae, id est, arbitriae vocantur, quia nimirum non a natura omnium gentium communi, sed singularum tantum propria praescriptae videntur, eamque*

liberis orientur; toties quoties iis gentes quaedam teneri perhibentur, videndum est omnino, an vere inter eas eiusmodi inita sint pacta, nec ne. Sed fatendum est omnino, haec pacta nec gentem vnam cum gente iniisse, nec vnam voluisse inire. Hinc etiam, cum bibliopola quidam Bataeus legatos, in conuentu Aquisgranensi, pacis causa anno 1748 habito, praesentes adiret, eosque rogaret, ut principes suos ad pactum commune, contra librorum iterationem, faciendum mouerent; abiit tandem sive plane frustrata<sup>b)</sup>. Quae vero hic dicimus de pactis, valent tantum de pactis expressis, non autem de tacitis atque praesumptis, quae, tum in his, tum in aliis, inter merita plerumque referenda sunt signa. Sic, si genti librorum aliorum iteratione huc usque non fuit consueta; sique libros peregrinos a peregrinis ipsa hactenus singulatim aere suo sibi paravit; nec illud, nec hoc, ut perperam Thurnisius<sup>c)</sup> de Heluetiis, Germanorum respectu, iudicauit, pacti taciti aut etiam praesumpti, sed merum est, vel temporariae necessitatis, vel etiam gratiae singularis, effectum. Gens nempe tam diu libros aliorum non iterat, quam diu ipsa vel bibliopolas non habet, vel non potest habere; tempore mutato res quoque ipsa mutatur, ut inter plurimas gentes est factum. Tempus enim fuit, quo fere omnes, quos libros iam iterant, solum ab aliis emere.

Quod vero iam leges iusti atque iniusti attinet externas, quibus iura et officia inter ciues externa nituntur; hae, quia partim omnibus omnino ciuitatibus communes, partim singulis tantum ciuitatibus propriae comprehenduntur, aequae ac gentium recte in *universalibus* *versales*,

que ob causam pro gentium varietate quoque variari ipsae. Ceterum hae leges non earum gentium respectu, inter quas initis pactis sunt fancitae, arbitrariae vocantur, his enim eae omnino sunt colendae; sed solum gentium earum, quae eiusmodi pacta non iniere. Sic igitur leges positivae loco suo sunt aequae naturales, ac naturales loco alieno

positivae videntur. Quemadmodum enim, quae vniuersalia, vel particularia appellamus, non nisi compare ita possunt efferi; ita etiam quae naturalia, vel positiva vocamus.

b) Vid. Illustr. Pütter. lib. cit. pag. 117.

c) In diss. iurid. de recusione librorum furios. Basil. 1738. pag. 9.

*versales*, seu *naturales*<sup>d)</sup>, atque *particulares*, seu *positivas* possunt describi. Cum autem ciues, qua ciues, imperio sublent, et inde non sua ipsorum priuata, sed sola imperantium voluntate publica regantur<sup>e)</sup>, haecque imperantium voluntas in vnaquaque ciuitate pro omnium omnino legum externarum norma sit habenda; leges ciuium externae vniuersales proprie sunt eae, quas ab omnium imperantium voluntate communi; particulares vero, quas a singulorum solum voluntate propria profectas videmus. Si vero omnium omnino imperantium, qui iam sunt, et vñquam fuere, voluntatem communem consideremus; manifeste apparet, eos ius, scripta typis expressa, aliis omnibus exclusis habendi, vendendique nullo modo tanquam legis externae vniuersalis effectum velle haberet. Omnino enim in nulla vñquam ciuitate ob libri, alius sumitibus euulgati, iterationem, in vniuersum spectatam, aut euulganti actio est concessa, aut iteranti poena inficta. Hoc quidem ex omnium imperantium cuiusvis temporis et ciuitatis praxi communi apparet. Sic enim, nisi iam inter Graecos, tamen certe inter Romanos, bibliopolae, qui, vt admodum probabile est, nec ipsi libros ab auctoribus sine pretio habuere<sup>f)</sup>, eos quidem descriptos in tabernis, tum primum Romae, tum postea etiam in prouinciis<sup>g)</sup> expositos vendebant; sed ne illum quidem est vestigium, illos aliis ciuibus eorum descriptionem cum aliquo iuriis effectu potuisse, vel voluisse

B 3 pro-

d) Leges ciuium externae vniuersales, vt sunt: *principi parere*; *eius leges seruare*, quia ex omnium ciuitatum natura communi fluxisse videntur, rechte quidem aequae *naturales*, sensu iuridico, possunt vocari; ac *particulares*, quia e singularum ciuitatum natura propria venere, *positivas* seu *ciuiles* per excellentiam appellamus. Est igitur omnino non minus *ius quoddam ciuium externum naturale*, ac innumera sunt genera *ius ciuium externi positivi*. Immo haec iura sine illo non lancita quidem fuissent.

e) Hac igitur voluntate sola etiam dimetiri debemus, quae, vt circa dominium atque commercium vniuersum, ita quoque dominii commerciique librarii causa signatim, externe iusta atque iniusta inter ciues sint habenda, idque eo magis, quod quaque societas ciuilis ex hoc dominii atque commercii genere maxima incommoda aequae, ac commoda potest habere.

f) Vid. Thurniſ. lib. cit. p. 5.

g) Vid. Plin. Iun. Lib. IX. epist. II.



prohibere. Sic medio aevo libri, qui in quavis ciuitate exstabant manu exarati, non ita inter res proprias huius vel illius ciuis sunt relati, ut non promiscue a quoquis alio plane impune potuissent transscribi, transcriptique in vulgus emitte. Sic statim a prima inuentae typographiae origine omnes omnino, tum veterum, tum recentiorum libri, cuiusvis sumtibus euulgati, ab aliis pro arbitrio sunt de novo impressi, venunque dati. Nec vero de his omnibus bibliopolae illorum temporum sunt questi, sive hoc etiam ab iis interdum est factum; iterantes non tam iniustitiae, quam solius inhumanitatis accusauere. Sic nostra quoque aetate nulla fere est ciuitas Europae, in qua dominii librarii ius in se et natura sua tam sanctum aestimetur, ut non maior minorque numerus librorum, quos eius in publicum emisit, ab aliis ciuibus, atque etiam peregrinis iteratorum, libere soleat vendi<sup>b)</sup>.

His autem, quae voluntate imperantium communii a ciuibus licite sunt, seu potius his legibus ciuium vniuersalibus externis in qualibet ciuitate tam diu est standum, quam diu non a principe latae sunt particulares, quibus illae tollantur. Enim vero nulla vñquam ciuitas fuit, nec iam est, vbi hoc a principe vel expresse vel tacite sit factum, et si propter controuersias, inter ciues, ob has res, in plurimis fere ciuitatibus ortas, nec occasio, nec etiam preces desuerint ipsae, quibus ad eiusmodi leges ferendas potuissent impelli. Omnia, quae principes fecere, consistunt in hoc, ut in ciuitatibus suis hinc inde, aut omnibus editoribus vniuersim, aut singulis quibusdam sigillatim priuilegia vel generalia<sup>i)</sup>, vel specialia<sup>k)</sup>

con-

b) Quamvis enim nec aequitas permittat, nec etiam prudentia suadeat, vt ciuis aliorum ciuium libros editos, promicie iteret atque vendat; tamen iustitia non impedit, quo minus hoc fieri possit, aut facissime etiam fiat. Sic enim autores Graecos atque Romanos; sic haud pauci medi aevi cuiuscunq; generis scripta; sic biblia sacra, catechismos, ephemrides &c, ab uno

ciue euulgata, ab altero pro arbitrio fere hinc inde typis repeti videmus.

i) Eiusmodi priuilegium generale bibliopolis in Anglia librorum cauilla, ad annos XIV. in vniuersum est datum, ita, ut intra hoc tempus nulli ciuii eos liceat iterare, Vid. Pütter, lib. cit. p. 104 seq. It. III seq.

k) Haec priuilegia specialia in vnaquaque fere ciuitate Europae bibli-


lio-

concederent, idque ad tempus. Ostendit autem horum priuilegiorum, quibus cauetur, ne intra tempus librario datum, partim ciues librum, illius impensis euulgatum, denuo typis exscribant, partim peregrini illum ita exscriptum in terras inuehant, principi subiectas, ostendit, inquam, horum priuilegiorum concessio atque petitio ipsa, principes ius bibliopolae, libros exclusis aliis habendi atque vendendi, non tam legis vniuersalis, quam gratiae solum specialis effectum vele considerari. Cur enim alioqui solent ab iis haec priuilegia aequae haud raro denegari, ac solent concedi? Cur, si concedunt, ea solum concedunt ad tempus? Cur tempore finito ea aut volunt renouari, aut non renouatorum vim plane extingui? Cur volunt ea libris praefigi, aliisque etiam modis in ceterorum bibliopolarum notitiam perferri? Cur ob abusus ea tollunt? Cur ea admittunt librario, conditionibus non slanti? Cur, quod maximum est, non nisi ob libros, eiusmodi priuilegiis munitos editori, itarationis causa, actionem instituendam permittunt? Cur contra, cum superfluum sit, id precibus postulare, quod iam natura habemus; nec quis, quae iura vniuersum sunt data, sibi sigillatim acquirere contendat, bibliopolae omnium temporum ad ius, librum exclusis aliis habendi atque vendendi, priuilegii beneficio obtinendum, summo studio sunt annixi? Esse quidem iam scio, qui, vt negent, hoc ius verum monopolium posse appellari, ita etiam affirment, nullo modo id e priuilegio venire. At enim in vtroque a via recta illi vehementer aberrare videntur. Habet, quod attinet primum, ius illud, mea saltim sententia, omnino veram monopolii naturam. Et si enim Illust. Pütterus, per totum suum librum<sup>1)</sup> hoc negans, contendit, eum quidem, quā omnium seu plurium etiam librorum, mercium aliquod genus constituentium; non vero eum, qui vniuersitatem libri, mercem solum individuam formantis, mercaturam in cunctate exclusis aliis exerceat, monopolio gaudere<sup>m)</sup>: tamen, siue quis

omnium

bibliopolis singulis, singulorumque librorum respectu ad annos decem, quindecim, vel viginti, sigillatim concedi (idemus).

1) Vno loco excepto, qui exstat pag. 197, vbi ipse hoc ius inter monopolia referre, sibique igitur ipsi paullulum refragari viderur.  
 m) Lib. cit. p. 54.



omnium omnino librorum, siue plurium, siue etiam vnius duntaxat mercaturam exclusis aliis in ciuitate exerceat, ita, vt, qui cipiunt, ab eo solo eum emere, idque pretio constituto, sint coacti, monopolium habet. Deinde etiam non dixerim, vniuersam libri vnius expressi materiam mere indiuiduam formare. Quamuis enim, quod *lectionem* attinet, vniuersa vnius eiusdemque libri exemplaria omnino librum constituant *vnum*; tamen ratione *emtionis* atque *venditionis*, de quibus solis hic sermo est, plura illa vnius libri exemplaria pro pluribus libris omnino sunt habenda. Quae vero cum ita sint, recte etiam ius ea vniuersa exclusis aliis vendendi, monopolii veri nomen poterit obtinere. Vti autem quocunque in ciuitate monopolium, ita hoc quoque librorum, singularis solum gratiae principis, seu priuilegii ab eo concessi, est effectum. Tribuitur librariis priuilegii beneficio a principe ius, quod illis a natura non est tributum; tribuitur id singulis tanquam proprium, quod aliquoquin omnes haberent commune; tribuitur tanquam externum, quod sine eo vel plane non, vel ad summum ius solum esset internum.

Horum omnium, quae hactenus dicta sunt, veritate etiam librarii priorum temporum, qui nostris paullulum aequiores fuerunt, ad vnum paene omnes agnouere. Illi enim, vt suae aetatis quoque scriptores, hoc sibi neutiquam sunserunt, vt dicarent, sibi iam in vniuersum, sicut etiam sine priuilegio principis speciali, ius competere externum, libros, suis sumtibus impressos, exclusis aliis vendendi. Sic sane ipse Lutherus de iteratione commentarii, quem in epistolas et euangelia, vt vocant, consecutum foras dare cooperat, querens, tantummodo dixit, illius venditionem ad *spatium mensuruum* vel etiam *bimestre* sibi soli relinqui debuisse, idque *ex amore christiano*<sup>a)</sup>). Sic, cum Erasmus Rotterod. Frobenio, ciuitatis Basil. bibliopolae, sui temporis clarissimo, librorum suorum caussa, imperiorium interdictum optasset, ne quis eos intra *biennium* denuo excuderet, addidit tandem, officinam Frobenianam *hoc dignam esse favore*<sup>b)</sup>). Longe aliter vero nostri iam bibliopolae, et cum iis quoque fentiunt Scriptores. Ambo enim, et si ipsi aliorum libros

quotidie

a) Ibid. p. 73.

b) Vid. Thurnissi libell. laud. p. 19. It. Pütter. p. 94.

quodammodo sere exscribunt atque vendunt; tamen natura sibi ius esse  
omnibus viribus contendunt, aliis prohibendi, ne suos exscribant,  
exscriptosque vendant. Hinc quoque vim priuilegiorum, quae  
principi referunt accepta, non ponunt in eo, ut ius, quod desit,  
ipsis concedant; sed solum, quod adit, confirment. Quasi, ubi  
iura dominii vera in vniuersum iam adsunt, hac principis confirmatione,  
sigillatim facta, sit opus. Hinc priuilegia litteras, non ad ius ipsius  
impertiendum singulare, sed tuendum commune, datas, (*Schutzbriebe*) volunt vocare <sup>p).</sup> Quasi princeps, si illi placuerit, sine eius  
modi litteris iura eorum non possit his in rebus tueri, aut in aliis non  
vere tueatur. Hinc afferunt, priuilegia solum concedi, ut, cum au-  
xiliu promtius et efficacius, tum poena certior et grauior sit.  
Quasi librorum, etiam sine priuilegiis euulgatorum, respectu, ubi  
ab aliis recunduntur, aut auxilio aut poenae in foro humano sit locus.  
Quorum omnium, quae hic prolatæ sunt, inanitatem bene sen-  
tiens Illustr. Pütterus, inter priuilegia fere distinguit <sup>q);</sup> Doctiss.  
Küßnero vero, rem de industria tractare, omnino non vsum est <sup>r).</sup>  
Hic enim loco scribit citato, magnum omnino priuilegiorum esse  
vsum; sed quinam verus eorum sit vsum, hoc fatus non dicit.  
Quin potius, cum addat, hunc vsum magnum esse in regionibus illis,  
ubi iniusta librorum aliorum repetitio sit licita, vel saltim a poena  
immuni; omnino clarum est, eum iniustiam internam hic plane  
cum externa confudisse. Quomodo enim externe iniustum, (de quo  
loquitur), vocari potest id, quod in foro externo vere est licitum et  
immune a poena? At vis vera priuilegiorum a ciuibus agnoscatur, nec  
ne; satis est, principum omnium voluntatem esse communem, ut bi-  
bliopolae ius sine priuilegiis nullum omnino habeant, libros, suis sum-  
tibus editos, exclusis aliis vendendi; satis est, eos hanc suam volunta-  
tem præ ceteris hoc quoque manifeste declarare, quod, si, quos  
libros alter sine priuilegiis euulgauit, alter conetur iterare, nec  
edenti, ius propterea experiri, permittant; nec iterantem afficiant  
poena. Quae igitur si vera est principum voluntas; quaeque volun-  
tas si in unaquaque ciuitate pro vera omnium lege externa est haben-  
da;

p) Thurniſ. p. 18.

r) Lib. cit. p. 16.

q) Lib. cit. p. 92.

C



da; non video, quomodo Illustr. Pütterus potuerit affirmare<sup>3)</sup>, bibliopolam, etiamsi priuilegio caruerit, libri sui factam ab aliis repetitionem iure perfecto, seu, quod idem est, externo, non modo posse iniustam vocare, sed etiam illius cauſa in foro humano instituere actionem. Ceterum, si libri alieni iteratio, per se sumta, vere iniusta posset vocari, vereque ob eam cuique instituere liceret actionem; miror, cur haec tenus propter rei iniustitiam clamor solum manis vndeque a bibliopolis sit sublatus, nec potius ea ad magistratum sit delata, vt omnino punitam viderent.

Sic igitur legibus vniuersalibus, tum gentium, tum ciuitatum, externis, bibliopola ius strictum non habet, libros, impensis suis editos, exclusis aliis vendendi; siue habere dicitur, id omnino e particularibus, nempe, quod attinet gentes, e pactis earum liberis; quod ciues, e legibus principum arbitraris est probandum. De huius rei certitudine in aliis quidem terris controuerſiae non tantae, quantae in Germania, potissimum recentiore aetate, sunt ortae; quod vero nulla alia de cauſa factum esse videtur, quam ob formam regiminis sui plane singularem. Enim vero, si, que haec tenus dicta sunt, non proſrus ſimiliter ad eam transferantur; hic quoque dubia facillime poterunt refolui. Potest ſcilicet Germaniae regimen dupli respectu conſiderari, partim, qua ſub uno Imperatore, qui maiestate ſuprema praeditus eſt, coniuncta, vnam omnino conſtituit ciuitatem; partim, qua inter Principes plures, qui ſuperioritate territoriali gaudent, diuifa, in plures omnino ciuitates abire videtur. Quod igitur Germaniam attinet, qua ciuitas maior eſt una; omnes fane, quibus compoſita eſt, ciuitates minores, si leges adſueriæ poſtituae communes, ab Imperatore, imperique Ordinibus fancitae, inter ſe iis vtentur. Sunt autem omnino, dominii atque commercii librarii reſpectu, quantum quidem de eo hic sermo eſt, in Germania eiusmodi leges nec conditae, nec etiam principes eas vñquam condere, ſibique imponere volueret, eſti identidem bibliopolae ab iis eas implorarint. Hinc Germaniae ciuitates in hiis, ut multis aliis in rebus, inter ſe legibus ſolum vniuersalibus liberarum gentium tenentur. Veluti igitur nec gens, exclusis aliis gentibus, ita etiam

<sup>3)</sup> Lib. cit. p. 60 seqq. aliisque in locis.

etiam nec eiusmodi ciuitas, exclusis ceteris libros suos vendendi iure gaudebit perfecto, quo possit aut eas cogere, ut a se emant, aut illis prohibere, ne emtos iterent. Singulis ciuitatibus, dominii commercioque librarii causa, omnino quidem licet, tum leges ferre, tum etiam priuilegia dare; sed vis fane vtrorumque in ea solum terra, vnde venere, est inclusa <sup>1)</sup>. Quae cum ita sint, iuste omnino quaevis Germaniae ciuitas alterius ciuis libros, priuilegio illius muniti sint, hi, nec ne, non modo iterat, iteratosque vendit; sed ciuitatisciuiusni etiam princeps ciui, aliorum libros iteranti atque vendenti, priuilegium in terra sua recte concedit. Impudenter igitur agunt, qui hanc ob rem iniustitiae externae insinuant ciuitates, earumque ciues et cum ciuibus etiam principes iniustos externe appellant, quod scilicet, quae a natura sint prohibita, ea facere non dubitent. Quasi vero, quae natura in Gallum aet Anglum non prohibuit committenda Germano, in Brandenburgicum prohibuerit Westphalo, aut in Saxonem Bauaro; sive ab ea, librorum causa, qui Berolini aut Dresdae prodiere, alia iura sint sancta, quam qui Parisiis aut Londini foras sunt dati. Adeone natura sui dissimilis est atque inconstans, vt, quae ea deinceps in urbe altera vere sunt iusta, in altera recte iniusta vocentur! Certum quidem est, aliorum librorum iterationem, iteratorumque venditionem in Germania, tum ob ciuitatum, in quas est diuisa, tum etiam potissimum ob librariorum, qui in unaquaque harum ciuitatum mercantur, multitudinem, esse molestam atque etiam fortassis iniquam; sed quae molesta aut iniqua sunt, vocari propterea non possunt iniusta. Nec etiam facit ad rem, quod dicant, aliarum Germaniae ciuitatum libros iterare, iteratosque vendere Germanis olim iniustitum fuisse. Primum enim hoc plane est falsum. Deinde, quae in usu non sunt, inter Germaniae ciuitates, quatenus suis tantum ipsarum legibus reguntur, aequae, ac inter alias est factum, paullatim recte possunt in usum venire. Fuit enim etiam tempus, quo Germani nec Gallorum, nec Anglorum scripta iterarent; sed nisi fallor, id iis iam est admodum vltatum.

## C 2

## Quod

<sup>1)</sup> Hunc, quod bene contra Stryckium est notandum, librorum adeo Imperatoris ipsius priuilegiis munitorum, haud parva multitudo inter-

ris Austriacis ipsis est recusa. Vid. Pütter. Lib. cit. p. 202. Conf. Thurnhilf. diss. cit. p. 22.



Quod vero iam ciuium, singularum Germaniae ciuitatum, his in rebus attinet iura externa; tota fere quaestio reddit eo, utrum in ciuitate leges positivae peculiares a principe vniuersim sint latae, nec ne. His legibus latis, cuius omnino librorum suorum iterationem alii ciuibus, etiam sine priuilegio speciali, recte potest prohibere; si minus, non potest. Eodem enim iure tunc ciues Germaniae ciuitatis, ac ciues aliarum Europae ciuitatum, id est, iure ciuium vniuersali regentur. Reuera autem, excepta regione Notrimbergensi <sup>1)</sup>, eiusmodi leges positivae peculiares in nulla alia Germaniae ciuitate vniuersim sunt latae; nec quoque principes eas vnuquam ferre voluere. Quin potius fere omnes, cum et ipsi priuilegia singulare <sup>2)</sup> singulis bibliopolis concedant, et solorum etiam librorum, eiusmodi priuilegiis munitorum, respectu, si ab aliis fuerint iterati, actioni et poenae dent locum <sup>3)</sup>, aperte ostendunt, se nolle, bibliopolas per se ius, aliis ciuibus exclusis, libros suos vendendi, habere. Sic igitur, sicutiibus omnino voluntate principis est standum; bibliopola nec quidem libri sui, nisi sit singulari priuilegio ornatus, factam in eadem ciuitate iterationem recte poterit vocare externe iniustiam. Hoc saltim cuiusvis jurisconsulti, qui, quae recte iusta atque iniusta externe inter ciues singularum Germaniae ciuitatum dicantur, e genuinis juris principiis hauseruat, sententia fuit. Sic Io. Pet. Ludewigius atque Frid. Behmerus; sic ICorum ordo Ienenfis, Gifsenfis, Helmstadiensis, Erfurtensis <sup>4)</sup> aliquie statuere, quamuis hi omnes fere rei veritatem magis dixisse, quam probasse videantur. Ceteri, qui rem per se et natura sua iniustum pronuntiarunt, plane locuti sunt de iniustitia interna; quae-

tionem-

v) Ibidem p. 154.

x) Eundem plane cum priuilegiis finem, in Saxonia, habet libri, apud Commissionem librariam Lipsiensem, in tabulas publicas facta relatio. Hinc eius etiam aequa, ac priuilegiorum, effecta durant tantum ad tempus, eoque praeter lapsu denuo ea postulari, concedique debet. Vid. Pütter. lib. cit. p. 188., nec non Küstner. lib. cit. p. 40 seq. It. p. 54. seq.

y) Hoc in primis clarum est ex eo, quod tum olim Superattendentibus librorum in Germania Generalibus factum, tum etiamnum a rei libraiae Commissione, non modo Francofurti, sed et Lipsiae constituta, fieri videmus. Vid. Pütter. Lib. cit. p. 174-194. It. Küstner. Lib. cit. p. 26-28. It. p. 35 seqq.

z) Vid. Pütter. Lib. cit. p. 119-124.

stionemque mere iuridicam ex Ethices, Politices et Theologiae etiam praeceptis diiudicarunt. Quod si Lutherus, Federus, Ehlersius et alii fecerit, nihil sane est, quod dicam, hi enim rem suam, eamque ex parte etiam bene egerunt. Si vero Bened. Carpzouius, Ahav. Fritschius, Adrian. Beierus, Nic. Christ. Lynckerus, Io. Henr. Bergerus, Iust. Henning. Boehmerus, Nic Hieron. Gundlingius, Io. Balth. Wernherus etc.<sup>a)</sup> idem facere non dubitarunt; sique hi omnes adeo persuasi fuere, se rem ad veras omnino leges iuris externi exegisse; nescio, quasnam ideas sibi de iure externo formarint, nisi forsan arbitrati sint, *se* ea, quae omnium, tum gentium tum ciuitatum, sententia communi externe sunt iusta, demonstratio ne ita esse immutatuos, vt externe omnino iniusta reddantur.

Quae haec tenus a me dominii atque commercii librarii causa scripta sunt, non scripsi eo animo, vt librorum alieorum iterationem, iteratorumque venditionem velim tueri, qui potius sincere atque vehementer opto, vt, quatenus sine aliis societatis ciuilis, atque litterariae potissimum, incommodis fieri possit, malum penitus tollatur: sed eo scripsi, vt lctorum quorundam ostenderem his in rebus peccata, qui, quae aliena sunt, tractantes, sua ipsa nec scire, nec agere velle videntur. Scripsi, ne, qui legum, quae sunt, modo interpres esse, earum veras causas eruere, verumque finem demonstrare debent, legum, quae non sunt, agant conditores, et pronuntiata sua, non solum singulis ciuitatibus, sed et gentibus vniuersis, quasi normam actionum et rerum externam obtrudant. Possunt quidem hi viri de re libraria, melius instituenda, consilia dare, non vero leges sancire<sup>b)</sup>. Hoc enim principis est; ciuis vero parere. Scripsi, ne, qui res et actiones humanas ad leges hominum veras exigere debent, veluti fabularum Romanenfium scriptores ad mere fictas exigant; sique, cum ostendendum sit, quae omnium iudicio publico atque communi iusta atque iniusta externe inter homines vere sint, solum ostendant, quae suo singulorum iudicio priuato atque proprio iusta et iniusta externe inter eos vel possint, vel delibent esse. Scripsi in primis, vt illustri exemplo dicerem, quanta

C 3 omnino

a) Ibid. p. 125-134. rei librariae tutela. Lips. 1740.

b) Vid. Stegeri diff. de publica p. 12.

22

omnino Theologiae atque Philosophiae cum Iurisprudentia consueta inter Iuriumconsultos deprehendatur. Quamuis enim tantum omnino harum omnium rerum sit discrimen <sup>c)</sup>, ut, quae sensu theologicō atque philosophico iusta aut iniusta vocantur, propterea vocari sensu iuridico ita neutiquam possint <sup>d)</sup>; tamen, cum iustitia aut iniustitia iterationis librorum, aliorum sumtibus impressorum, e solis Iurisprudentiae legibus esset demonstranda, e Theologiae, atque potissimum Philosophiae, puta Ethics atque Politices placitis demonstrarunt, idque sic, ut, quod tanquam Theologi et Philosophi aut recte aut perperam dixerit, non modo tanquam Icti dixisse, sed et vere dixisse vellent videri. Hinc, opinor, est factum, ut bibliopolis ius, libros eos exclusis aliis vendendi, in vniuersum afferentem perfectum, etiā nec gentibus gentes, nec ciuibus principes id in vniuersum concedant. Hinc, ut librorum aliorum iterationem, iteratorumque venditionem in vniuersum furtum et latrocinium sensu iuridico appellarent, etiā nullae plane sint leges, quibus hoc sensu ita possint in vniuersum vocari. Hinc, ut de actione, in foro humano instituenda, deque poena, a iudice infligenda, in vniuersum loquerentur; etiā nec illi, nec huic, in vlo foro humano, aut ab vlo iudice vnuquam in vniuersum locus sit datus. Sed satis de iis est dictum, quae e genuinis Iurisprudentiae praecceptis, dominii atque commercii librarii respectu, vere iusta aut iniusta externe vocentur. De solis autem Iurisprudentiae praecceptis hic sumus locuti. Quae enim Theologia his in rebus vel praecipiat, vel vetet; quae Ethica suadeat, probetque; Politica dissuadeat atque improbet, peculiarem plane tractatioinem requirunt, longeque etiam aliam, quam quae hucusque a plurimis est facta. Sed hanc, ne lectori fiamus molesti, ad occasionem commodiorem reseruamus.

Iam

c) Habet Theologia, Philosophia et Iurisprudentia finem aequem, ac principium plane diversum.

d) Possunt sensu theologicō atque philosophico esse iusta, quae sensu iuridico iusta; possunt contra sensu iuridico esse iniusta, quae sensu theologicō atque philosophico iusta omnino sunt habenda. Id quodiam

ex notissimo illo: *summum ius, summa saepē est iniuria,* appareat. In vita quidem vulgariter subtletas non est, ut haec omnia inter se recte soleant discerni; doctrinæ vero utilitas suadet, ut hoc fiat in schola, ne e confusione verborum, eorumque significatiuum inter eruditos disceptationes imanes briantur.

Iam vero tandem progredimur ad ea, quorum causa tota  
haec disputatio est instituta. SERENISSIMVS PRINCEPS, FRIDERI-  
CVS AVGVSTVS, pater patriae optimus, me, qui antea iam salario  
annuo, praeter omnem meam exspectationem, fueram ornatus,  
munere etiam Philosophiam, in hac sede Musarum celeberrima, ex-  
tra ordinem publice docendi, dignum censuit, idque mihi clemen-  
tissime demandauit. Iubet vero, maximum hoc in me collatum  
beneficium, et gratum animum palam declarare, et pro PRINCIPIS  
atque EIVS AMICORVM salute pia vota nuncupare. Quae cum  
breui oratione: *de cauiss inimicitarum, inter eruditos, ob sentiendis*  
*diversitatibus maxime obuiis, praemissa, peragere mecum con-*  
*stituerim; TE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, VOS, COMI-*  
*TES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE CIVITATIS PROCRES GRA-*  
*VISSIMI, COMMILITONES GENEROSSIIMI ET FRAENOBIILIS-*  
*SIMI, vi huic solennitati frequentes interesse, mihiique benevolas*  
*aures præbere velitis, ea, qua decet obseruantia, rogo. P. P. in*  
*Vniuersitate Litterarum et Artium Lipsiensi, Dominica XVIII. post*  
F. Trinitatis, A. R. S. C I O D C C L X X X V L.

non illius tuncque se haud hinc ergo possebat etiam quod  
interstat, etiamque ex eiusdem causa. etimologiis non obstantibus secundum  
etiam quod non solum propter analogia cuiusque rite, sed etiam ea quae  
enuntiatur in libro de ritibus, etiamque ex uno loco, omnia  
ex aliis libris hoc non potest esse. Neque si quis libello, quod est  
narratio litterarum, sic loquens magis, ita quod sicutus libellorum  
est libellorum est in eis inveniatur, non ait iste libellorum est libellum  
etiamque ex aliis libris hoc non potest esse. etiamque ex aliis libris hoc non potest esse.

¶ XXXXVIII. S. A. p. 102. B. A.

**ULB Halle**  
005 483 018

3



vd/18







DE

FINIBVS IVSTI ATQVE  
INIVSTI, CIRCA DOMINIVM  
ATQVE COMMERCIVM BIBLIOPOLARVM,  
ACCRATIVS CONSTITVENDIS.

A D

AVDIENDAM ORATIONEM,  
QVAM  
MVNERIS PROFESSORII AVSPICANDI  
CAVSSA

D. XVIII. OCT. A. R. S. CIOIOCCCLXXXVI.

RECITATVRVS EST,

OBSERVANTISSIME INVITAT

G E O. N I C. B R E H M

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAEBARTHIA

